

commutatam, sed solum distributam; Si autem conferat in concursu beneficium digno, relicto digniori, & peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; quia violat *Justitiam commutatam*; Prælati enim indicens concursus censetur intrare quendam innotinatum contractum, do, ut des, cum Clericis concurrentibus; adeoque Clericus, qui in concursu prævalet suo competitori, acquirit jus strictum ad petendum, ut illi detur, seu conferatur beneficium, & tale Jus est obiectum *Justitiæ commutatæ*, non autem *distributivæ*: sic etiam est dicendum in aliis similibus casibus, ut recte notant passim Doctores.

Radices restitutionis quavis communiter assignentur tantum duæ, scilicet *ex re accepta*, & *ex injusta acceptione*; tamen majoris claritatis gratia quatuor ab aliis quibus recte traduntur. Prima, scilicet *ex re accepta*. Secunda *ex injusta acceptione*, seu *retentione*. Tertia *ex damno injuste illato*. Quarta *ex contractu*. Prima, videlicet, *ex re accepta*, seu *ex delicto materiali*, habetur, cum quis rem alterius bonæ fidei accepit, vel possedit, & dicitur possessor bonæ fidei, qui statim ac cognoscit rem esse alterius, tenetur restituere, aliâs incipit esse possessor malæ fidei. Secunda *ex injusta acceptione*, seu *ex delicto formali*, habetur, cum quis rem alterius scienter invito rationabiliter domino surripit, & dicitur possessor malæ fidei. Tertia *ex damno injuste illato* habetur, cum quis per actionem injuriam non lucrativam alteri damnum injuste infert, *verb. grat.* comburendo domum, devastando segetes, & hujusmodi. Quarta *ex contractu* habetur, cum quis *verb. gr.* Petrus vendit Paulo equum, quem putabat esse suum, erat autem Joannis; Si Joannes hunc equum repetat, & evincat, tenetur Petrus de evizione, & debet non solum restituere pretium equi, sed etiam compensare damnum, quod emerit, & lucrum, quod cessavit Paulo occasione illius venditionis; Pretium quidem tenetur Petrus restituere *ex re accepta*, sed quod tenetur compensare damna, & lucra, non oritur *ex re accepta*, cum nihil accepit, quod illis correspondeat, nec oritur *ex injusta acceptione*, neque *ex damno injuste illato*, nam Petrus bona fide procedit, ergo oritur *ex contractu*, quia nempe ad hoc se obligat vendens pro securitate ementis. Sic expresse La Croix *lib. 3. part. 2. n. 18.*

Qui ibidem insuper quintam radicem restitutionis poni posse subjungit, nempe *ex Lege positiva*, quæ habetur in certis casibus, in quibus Jus obligat ad restitutionem, quamvis nec sit *res accepta*, nec *injusta acceptio*, nec *damnum injuste illatum*, nec *contractus*. Jus enim positivum in pluribus statuit, ut quis reparet damnum, quamvis causatum sit absque omni ejus culpa. Sic in *Instit.* Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, & l. Si quadrupes l. ff. eodem, statutum est quod si alicujus animal pauperiem fecerit, id est, intulerit damnum alteri, teneatur illius dominus dare illud animal, vel totum damnum reparare. Item in *Instit.* de noxalibus actionibus l. Noxales actiones l. cum aliis sequentibus, ff. eodem; l. Si servi vestri 2. Cod. eod. sanctum est, quod si mancipium alicujus ex sua propria, & absque culpa domini intulerit damnum, teneatur dominus pro noxa tradere mancipium, vel totum damnum reparare. Item l. Prætor ait 1. & l. Hoc edictum 6. ff. de his, qui esuberant, vel de secerint, cautum est, quod si ex domo, vel navi alicujus absque culpa domini aliquid sit effusum, vel projectum, quod nocuit transeuntibus, vel adstantibus, si non fuit clamatum, ut caveret sibi, teneatur dominus reparare in duplum; & idem est, si aliquid de domo suspensum fuit supra viam, quod nocuit alicui, ut ibidem l. Si vero 5. ff. eodem & sic de aliis similibus, ut videre est in *Instit.* & ff. Ad l. Aquilianam, & sæpe alii.

Restitutio est necessaria ad salutem necessitate præcepti. Communis; Et habetur clare ex variis sacra scripturæ locis, quibus indicitur tale præceptum; primo ex illo *Leviticus 6. Qui aliquid extorsit, aut calumniam fecerit, aut aliquid quidpiam commiserit, omnia integra primum restituat*; Secundo ex illo *Tobias 2. Videte ne furivus sit, reddite illum dominis suis, quia non licet na-*

his edere ex furto aliquid, aut coningere. Tertio ex illo *Matthæi 22. Reddite, quæ sunt Cæsari, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*, (Matth. 22. tit. 6. part. 1.) Quarto ex illo *Ad Romanos 8. Reddite omnibus debitum, cui tributum &c. nemini quidquam debeatis*; Quinto ex illo *Baechielis 33. Si dixeris in pio, morte morieris, & egeris penitentiam de peccato tuo, & feceris iudicium, & justitiam, & pignus restitueris, rapinamque reddideris, & ambulaveris in mandatis vitæ, nec feceris quidquam injustum, vita vivet, & non morietur, ubi, ut vides, ad penitentiam, & salutem æque necessario præcipitur restitutio, ac observantia aliorum præceptorum; Et clare patet etiam ex septimo Decalogi præcepto *Non fur-tum facies*, in quo cum prohibetur injusta ablatio rei alienæ, consequenter prohibetur etiam injusta detentio; & præcipitur restitutio, quia ejusdem rationis est furari, & detinere rem alienam invito rationabiliter Domino, dum reddi potest; Unde in *cap. Si res aliena 1. caus. 14. quest. 6.* ex verbis S. Augustini expresse dicitur: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non reddatur, non agitur penitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest. Et in cap. Sæpe contingit 18. de restitutione spoliatorum expresse habetur, quod non multum intersit quid ad periculum anime injuste detinere, ac invadere alienum. Hinc in cap. Peccatum 4. de Regul. Juris in 6. expresse concluditur: Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. (Lit. E. pag. 322. col. 2. n. 3.)**

Non est tamen restitutio necessaria ad salutem necessitate mediæ. Communis. Et ratio est, quia ignorans invincibiliter se obligari ad restitutionem, aut factus impotens ad illam præstari sine restitutione, ut concedunt omnes ex expressa doctrina Sancti Augustini in *cit. capit.* Si res aliena 1. caus. 14. quest. 6. ibi: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest; ex quo patet, quod restitutionis incapax possit absolvi, & consequenter salvari sine facta restitutione, quo nullimode posset, si restitutio esset necessaria necessitate mediæ. Sicut non potest salvari, qui post commissum peccatum mortale impotens est ad penitentiam, vel per Sacramentalem Confessionem simul cum attritione, vel per contritionem perfectam simpliciter, vel supervenientem plenam demeritiam, vel phrænesim, aut subitanam mortem. Res enim necessaria ad salutem necessitate mediæ talis est, ut sine ipsa non possit obtineri salus, etiam si inculpabiliter omittatur, ut Baptismus in parvulis, Penitentia in lapsis, &c. Res vero necessaria ad salutem necessitate præcepti talis est, ut etiam sine ipsa possit obtineri salus, si sine culpa omittatur, ut sumpcio Eucharistiæ, restitutio, &c.*

Ad restitutionem tenentur non solum illi, qui per se immediate, & directe per actionem physicam influunt in damnum alterius, sive actione lucrativa, ut fit in furto, & rapina, sive actione non lucrativa, ut fit in combustione, occisione, mutilatione, precipitatione rerum in flumen, & hujusmodi; sed etiam illi, qui solum mortaliter deliberate, & efficaciter influunt alios movendo ad damnum illud inferendum. Communis: argum. cap. 1. num. 32. *Epist. ad Romanos*: ibi: *Qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt faciendum*, cap. Notum sit 10. caus. 2. quest. 1. ibi: *Quia facientem, & consentientem par poena constringit* (Lit. E. pag. 354. in princip. col. 1. cum Reg. 19. tit. 34. p. 7.) cap. Si culpa tua 9. de injuriis, & damno, ubi habetur, quod qui occasione damni dat, damnum dedisse videtur. *leg. Qui occidit 30. §. 3. ff. ad legem Aquilianam*, ibi: *Qui occasione præstat, damnum fecisse videtur.* (Vide add. novis. in fine hujus art.)

Causæ cooperantes, seu influentes mortaliter ad injuriam damnificationem proximi communiter enumerantur novem in sequentibus versiculis comprehensæ.

Quilibet in solidum reddat prius injuriam.
Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Non obstant, Non manifestans, Cau-

Causæ contentæ sub primis sex nominibus positive cooperantur ad damnum injuriam proximo inferendum; tres vero contentæ sub ultimis tribus nominibus negative, id est, omitendo id, quod ex officio, atque justitia facere tenebantur; Et qui aliquo ex prædictis novem modis deliberate, & efficaciter cooperantur ad damnum injuriam alterius, non solum incurunt reatum peccati, sed etiam obligantur ad restitutionem in solidum, seu totum in defectum exequentis, juxta allatum primum versiculum: Unde Innocent. XI. die 2. Martii 1679. merito inter alias damnavit sequentem propositionem 39. in ordine: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Per ly *Jussio* venit omnis ille, qui mandatum dat alteri ad damnificandum, vel ledendum; Unde qui mandat, vel jubet, sive explicite, sive implicite, sive potestatem habeat præcipiendi, sive non, tenetur ad restitutionem totius damni, in quod efficaciter influxit ejus mandatum; Talis enim est vera, & propria causa damni illati, & quidem principalis, & magis influens in damnificationem, quam ipsemet executor, seu mandatarius. Sic Doctores Communiter.

Mandans non solum tenetur ad damnum, quod de facto jussit, sed etiam ad illud, quod prævidere poterat ex circumstantiis secutum; Hinc si præcepit famulo, ut combureret domum Titii contiguam aliorum domibus, & attentis circumstantiis loci, temporis, venti, incendiis, & hujusmodi prævidere poterat, & debebat plures domos inde comburendas, tenetur ad omnium damnorum restitutionem. Communis.

Mandans, si sit Superior, tenetur etiam ad restitutionem damnorum, quæ patitur mandatarius ex sua executione, v. g. si propter crimen mitteretur, in exilium mittatur, & hujusmodi. Jussio enim Superioris continet quendam vim, & coactionem moralem respectu subditi, ita ut non tam sponte, quam coactè censeatur operari, & talis mandatarius sub illa conditione suscipit mandatum, ut mandans subeat onus oriturum ex executione sui mandati; secus autem si mandans non sit Superior, sed mandet alicui vi stipendii, quia tunc mandatarius omnino voluntarie in se periculum assumit, cum ad id ex contractu sit mercede, seu stipendio conductus. Sic Doctores passim.

Mandans occidi Paulum, adhuc ipse mandans tenetur ad compensandum totum damnum ex morte Pauli secutum, quia ex ipsius imperio est efficaciter secutum. Communis.

Si mandans excedat mandatum in damno inferendo, ut si jussus comburere tantum domum, & ipse volens comburat etiam vineas, segetes, & hujusmodi, tunc excessum illum non mandans, sed mandatarius excedens compensare tenetur, quia est secutus ex sola malitia mandatarii, & non ex mandantis mandato. Communis.

Si mandans mandatum suum ante executionem verbo, scripto, vel nuntio vere retractat, seu revocet, & revocatio ad notitiam mandatarii perveniat, tunc liber est ab obligatione restituendi, quamvis mandatarius non obstante tali revocatione, adhuc damnum inferat, tunc quia tale damnum non sequitur ex mandantis mandato, cum fuerit ver revocatum, sed totum sequitur ex mera malitia mandatarii. Communis.

Si autem revocatio mandati ante executionem ad notitiam mandatarii non pervenerit, isque exequatur, & damnum inferat, tunc mandans tenetur ipse ad restitutionem, quia, non obstante sua revocatione, adhuc damnum secutum est ex vi sui iniqui mandati. Communis. Item tenetur mandans ad restitutionem, quamvis revocatio mandati pervenerit ad notitiam mandatarii, si ipse mandatarius, vel non credens seriam esse revocationem, vel si credita seria, postea invincibiliter illius immemor damnum execat est, quia tunc, non obstanti tali revocatione, adhuc damnum vere secutum est ex vi sui iniqui mandati. Sic Doctores, &c. passim.

FERRAR. BIBLIOTH. TOM. VIII.

Mandans non eximitur ab obligatione restitutionis, quamvis, si ipse non mandasset damnum inferendum, alius ab ipso tale damnum mandavisset; Quia licet, illo non jubente, adhuc damnum fuisset secutum, cum tamen in tale damnum mandans vere efficaciter influerit, ipsi tamquam causæ efficaci est imputandum, cum ad causam efficacem quiddam verus influxus, nec sit necesse, quod sine ipsa damnum non fuisset causatum; Per hoc enim quod licet alius combussisset domum, si ipsam non combussisset Paulus, non tollitur, quod Paulus ipsam non combusserit, si vere eam combussit. Quamvis enim *Matthæi 18. num. 7.* dicatur, quod necesse est, ut veniant scandala, tamen non obstante tali necessitate gravis comminatio incurrit contra inducentem scandalum, ibi: *Verum tamen vae homini illi, per quem scandalum venit.*

Per ly *Consilium* venit omnis ille, qui ad damnificationem alicui consulti, persuadet, allicit, instruit, movet, rogat, auxilium præbet, facilitatem, & modum ostendit, & hujusmodi; Talis enim contrahit obligationem restitutionis pro damno ex ejusmodi consilio, vel suasionem reipsa secuto, cum sic efficaciter consulens tale damnum sit vere causa illius. Communis.

Consulens ex stipendio, & ex officio suo, non solum tenetur de malo consilio ex dolo, vel culpa lata, sed etiam ex levi; Inter consulentes enim, & eum, qui accipit consilium, intercedit contractus quidam in utilitatem utriusque, quandoquidem si consulens recipit commodum ex consilio proventiens, consulens recipit utilitatem stipendii: In contractibus autem, qui cedunt in utilitatem utriusque, oritur obligatio etiam ex culpa levi, ut tenet *Communis Doctorum* per textum in *leg. Contractus 23. ff. de Regul. Juris* (Vide *verb. Commodatum, & verb. Culpa*).

Consulens non ex stipendio, sed quia Jurista, Theologus, Confessarius, si per culpam, negligentiam, ac ignorantiam crassam, male consulendo causam præbet damni, ut si obligatum restitutioni debitorum, aut volentem injuriam contractum intrare male informet, tenetur ad restitutionem damni secuti ratione sui mali consilii ex ignorantia crassa, & culpa lata, non tamen ex levi; Talis enim consulens culpabiliter præstitit malum consilium, quod fuit causa illius damni secuti; Siquidem actiones, quæ ex ignorantia crassa procedunt in his, quæ pertinent ad proprium statum, & professionem, maxime si sint damnosæ, imputantur ignorantis, seu consulenti illas ob culpam, cum ex vi proprii status teneretur scire, & in consulendo, seu respondendo errorem, vel negligentiam vitare; adeoque si ex ignorantia crassa, vel culpa lata consuluerit, & ex consilio damnum secutum fuerit, tenebitur ad compensationem, seu restitutionem. Communis, per textum in *cap. Si culpa tua 9. de injuriis, & damno dato*, ibi: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerint, Jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* (Reg. 5. tit. 21. tit. 34. p. 7. Vid. lit. B. p. 422. num. 20.)

Si autem consulens non sit persona, quæ ratione status, vel muneris sui, peritiam rei consulende profiteatur, non obligatur ex malo consilio, nisi dolo, id est, nisi scienter, & fraudulenter alterum ignorantem circumveniat. Communis, text. expr. in c. Nullus 62. de Reg. Jur. in 6. ibi: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulenter non fuerit, obligatur*; & *leg. Consilii 47. ff. de Reg. Jur. ibi: Consilium non fraudulenter nulla obligatio est.* Quod omnes intelligunt de consilio libere dato ab amico v. g. non ex officio debito. (Regul. 6. tit. 34. p. 7.)

Consulens dans consilium falsum, & damnificativum, seu nocivum sine expressione utilitatis inde resultantis, *verb. grat.* quando consilium dat solum ad sciendam veritatem, an aliquis contractus sit illicitus, an talis medicina sit salubris, & hujusmodi; si ante executionem revocet dictum falsum, malum, & nocivum consilium, liberatur ab obligatione restitutionis, quamvis damnum adhuc sequatur; Tunc enim

V con-

consulens revocans datum falsum consilium fatendo se esse deceptum, aufert totum motivum, totamque causam, quam dederat pro damno inferendo; Unde si non obstante tali revocatione, adhuc alter velit agere contra ipsam revocationem, non erit cur ipse consulens obligatus remaneat ex illa actione, cum tunc non consulentis auctoritate, & motione, sed sua dumtaxat malitia, vel privata sua opinione executor moveatur. *Communis.*

26 Si autem consulens dederit consilium nocivum, seu damnificativum expressa, seu proposita damnificationis facilitate, utilitate, ac securitate, & hujusmodi, tunc licet revocet suum consilium ante executionem, si consulens à tali sibi antea proposita utilitate motus adhuc operetur, & damnum inferat, non liberatur dictus consulens ab obligatione restitutionis; Tunc enim illa utilitas, facilitas, & securitas, quam proposuit, & docuit consulens resultare ex illo opere, prout revera resultat, adhuc pergit movere operantem ad executionem illius operis, non obstante tali revocatione, adeoque consulens adhuc maneat causa efficacis damni, adhuc consulens manet obligatus ad restitutionem. Sic *Communior Doctorem sententia cum Sporer tom. 2. tract. 4. cap. 3. num. 21. Lesio lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 13. dub. 3. num. 16. Carden. in 2. Crisi disc. 23. num. 135. La Croix lib. 3. part. 2. num. 28. Rosignol de restitut. 1. prenot. XII. sect. 2. num. 11. Henno tom. 2. tract. 1. disp. 4. quest. 2. conclus. 2. & aliis pluribus contra Petrum Navarrum, Salonium, Fillucium, & alios.*

27 Nec valet dicere, quod sicuti revocatio mandati, serio & sufficienter intimata liberat mandantem ab obligatione restitutionis, ita etiam revocatio consilii debet liberare à tali obligatione Consultorem. Non valet inquam, propter magnam disparitatem, quia mandatarium non agit suo, sed mandantis nomine, & consequenter ubi mandatum revocatum est, non amplius mandans influit in actionem. At vero qui consilium recipit, non agit Consultoris nomine, sed suo propter motivum utilitatis, commoditatis, vel voluptatis à consulente in opere injusto patrandi sibi propositum, *verb. grat.* propter sibi propositam decoram vindictam in consulto homicidio, propter evitacionem infamiae in consulto abortu, propter utilitatem in consulto facili, & commodo furto, & hujusmodi, & ideo quamvis Consultor millies dixerit alteri, *nolo ut utaris dicto meo consilio*, cum adhuc perseveret propositum motivum dictae decorae vindictae, evitacionis infamiae, utilitatis, & commoditatis furti à consultore alterius menti impressum, ad hoc re ipsa, non obstante tali revocatione, Consultor efficaciter influit in opus injustum patrandum, & damnum tertio inferendum, adeoque obligatur adhuc ad restitutionem, & compensationem.

28 Consulens furi efficaciter parato auferre à Joanne 100. ut ab eodem auferat solum 50. non tenetur ad ullam restitutionem, cum directe non concurrat ad damnum inferendum, sed potius praecise ad gravius damnum impediendum, & commodum Joanni afferendum sic utiliter rem ejus gerendo. *Communis.*

29 Si autem furi efficaciter parato auferre à Joanne 100. consulat, ut auferat 50. à Petro, de quo non cogitaverat, tenetur rescire damnum Petro illatum per tale suum consilium, quia licet commodum procuraverit Joanni, fecit tamen cum detrimento Petri, cui tale detrimentum non pervenisset, si ipse sic non consulisset, adeoque tenetur ad ejus compensationem. *Communis.*

30 Si furi efficaciter parato furari alicui indeterminato consulat quis, ut furetur Titio, tenetur rescire damnum Titio illatum per tale consilium, cum sit vera causa, cur hic determinatus damnificetur.

31 Si fur determinatus sit furari vel diviti, vel pauperi, licitum est consilere, ut furetur potius diviti, quam pauperi, non determinando ullum divitem in particulari, quia sic non determinatur voluntas furis ad damnum alicujus, sed tantum avertitur à majori peccato, & damno, cum ceteris paribus majus sit peccatum, &

damnum furari pauperi, quam diviti. *Sic Communior Doctorem.*

Item si fur determinatus sit furari vel alicui particulari diviti, vel particulari pauperi, *verb. grat.* Titio diviti, vel Cajo pauperi, & non possit nisi alterutrum impediri, licet consilere, ut furetur Titio diviti, & non Cajo pauperi, evitans sic majus malum, peccatum, & damnum; Tunc enim sic consulens directe non cooperatur ad damnum inferendum Titio, sed solum furi explicat veritatem aliquam certam, & utilem, scilicet minus peccatum & damnum esse furari ditiori, quam egentiori. *Ita etiam Communior Doctorem.*

✦ Sed in praxi nullo modo hujusmodi consilia sunt danda; sed absterrendi potius perdit homines à quocumque furto. ✦

✦ Vere quidem sunt prius absterrendi perdit homines à quocumque furto. Sed quid, si fur, non obstante quocumque terrore sibi incusso, remaneat adhuc obstinate determinatus ad furandum vel diviti, vel pauperi, & nequeat ab alterutro averti, ut clare supponit mea conclusio? Nonne consulens in tali casu, majus malum esse pauperi furari, quam diviti, gerit utiliter rem Dei & furis, ipsum furem avertendo à majori malo, & à majori offensa Dei? Tunc enim proprie non consulit damnum & peccatum, sed potius imminutionem peccati, & evitacionem majoris damni ad quod fur erat obstinate determinatus, quamvis enim illicitum sit facere malum ut evaniant bona; non est tamen illicitum obstinate determinato ad majus malum consilere minus, cum non possit alterum, seu utrumque impediri. Et hujusmodi consilia tanquam licita absque onere restitutionis admittit etiam Antonius *tract. de Justitia & Jure cap. 4. quest. 7. §. 2. resp. 3.* quamvis ibi praescindendo à circumstantia divitis & pauperis recte dicat: *At tenetur ad restitutionem, si parato majus damnum inferre Paulo consulat ut minus damnum potius inferat Petro, cui non statuerat inferre.* ✦

Per ly *Consensus* venit omnis ille, qui consentiendo efficaciter influit in alterius damnum; *Communis.* Hinc consentiens consensu efficaci in damnum alicui inferendum, sine quo consensu alii non possent, vel non vellent tale damnum inferre, tenetur una cum aliis cooperantibus ad restitutionem, & compensationem talis injustae damnificationis. *Communis.*

Consentiens sententiae iniquae, bello injusto, electioni personae indignae, aut minus dignae, si in ipsis requirantur vota, seu suffragia omnium, seu pleritudo votorum, tunc omnes tenentur ad compensationem damni ex consensu, & voto suo iniquo secuti; in tali enim casu omnes efficaciter causant illud damnum, & consequenter omnes etiam tenentur ad compensationem. *Communis.* Si autem non requirantur omnium vota, seu suffragia, sed solum vota, seu suffragia majoris partis, ut passim in similibus currit, tunc postremi consentientes per suum suffragium, postquam sufficiens numerus suffragatus est dictae iniquae sententiae, bello injusto, electioni personae indignae, aut minus dignae, & similibus iniquis, & injustis actionibus, non tenentur ad restitutionem, quamvis peccent sic suffragando. Sic Navarrus in *manual. cap. 87. num. 21. Lessius lib. 2. de Just. & Jur. cap. 13. dub. 5. num. 23. Cajetanus in Summa verb. Restitutio cap. 1. §. Consensus; Rosignolus de restitutione 1. prenot. 12. sect. 3. num. 2. Sporer tom. 2. tract. 4. cap. 3. num. 13. Petrus à Navarra lib. 3. de restitut. cap. 4. num. 33. & seq. Molina, Vasquez, Layman, & alii passim contra Medinam, Cordubam, & paucos alios; Et ratio est, quia dicti postremi consentientes non fuerunt causa damni, cum jam ante suam suffragationem, & votacionem sufficiens, & efficacis causa damni fuerit posita.*

Si vero dicti postremi consentientes cognoscere non possint, sed dubitent, an suo, vel priorum suffragantium voto fuerit causata talis iniqua & injusta lesio, ex quo vota fuerint secreta, tunc probabilius tenentur una cum aliis ad compensationem damni pro rata dubii; Petrus à Navarra lib. 3. de restitut. cap. 4. n. 38. Rosignol. loco cit. num. 4. Sporer loc. cit. numer. 36.

& cum aliis congestis à Molina *tract. 2. tit. 2. disp. 736. num. 6. Lugo disp. 19. sect. 1. num. 22. & alii.* Et ratio est, quia ipsi dederunt operam injustae actioni, ex qua consecuta est illa damnificatio, seu lesio, adeoque, si cognoscit non possit, an ab ipsis potius, quam ab aliis suffragantibus completa fuerit illa actio prout damnosa, omnibus ad ratam erit imputanda; & consequenter singuli tenebuntur pro rata parte ad compensationem, cum non sit major ratio de uno, quam de alio.

Item probabilius tenentur ad compensationem, seu restitutionem postremi consentientes, seu suffragantes post majorem partem, si sperent contradicendo posse sua auctoritate, vel gratia à tali iniqua sententia, vel indigna & injusta electione, seu damnosa actione alios revocare, seu removere. Sporer loco cit. numer. 31. Navarr. in *manual. cap. 16. num. 21. vers.* Ex his sequitur: Lessius *cit. lib. 2. cap. 13. dub. 2. num. 24. Rosignol. loco cit. num. 7. Layman 3. lib. tract. 2. c. 5. num. 6. Henno tom. 2. tract. 1. disp. 4. quest. 3. resol. 5. & alii plures.* Et ratio est, quia in iis, in quibus statur majori parti suffragantium juxta l. Quod major 19. ff. Ad municipalem, & cap. Cum in cunctis r. de his, qua sunt à majori parte Capituli (Lit. E pag. 172. in add. nov. hisp.) singuli suffragantes tenentur ex officio proprio, & ex justitia nihil non moliri, ut feratur justa sententia, aut fiat electio dignioris, & damnum omne, quod praevident, impedire si possint, adeoque si id possint, et non praesent, sed potius per suum suffragium concurrant ad illas actiones, ex quibus damnum consurgit, cum sint causae partiales illius damni, tenentur pro rata parte ad illius compensationem.

✦ Si damnum possint impedire, & non praesent, utique tenentur ad compensationem in solidum, non pro rata solum parte. ✦

✦ At mea conclusio, ut ex n. praeced. & seqq. potest colligi, supponit, quod possint solum impedire pro sua parte, & non in totum; si enim singulorum concursu sublato, adhuc ferret totum damnum, singuli non tenebuntur ad totum, sed tantum ad partem, quia singuli non possunt nequidem moraliter vim causativam totius damni: solummodo autem singuli tenerentur in solidum ad totum, si singulis non concurrerentibus, damnum non poneretur; quia in tali casu, cum singuli potuissent, & debuissent impedire non dando suum concursum, & reipsa singuli essent causa moraliter aequata totius damni, adeoque tunc singuli tenerentur ad totum in solidum. ✦

Immo aliqui volunt, quod postremi consentientes, si praevideant priores non esse suffragium retracturos, adeoque indignum esse promovendum, & hujusmodi, non possint suffragari pro indigno, pro iniqua sententia, & hujusmodi, quia, dicunt ipsi, tam postremi suffragantes, quam priores concurrunt ad electionem, seu sententiam iniquam, cum res concludatur, & executioni mandetur non tantum nomine priorem, sed omnium, qui pro illa suffragati sunt. Sic Henno tom. 5. tract. 1. disp. 4. quest. 3. conclus. 2. Medina Jo. de restitution. quest. 7. ad quintum, Corduba in Summa quest. 191. & alii: Plurimi tamen communis defendunt contrarium.

Priores ferentes suffragium pro sententia, aut electione iniqua, & hujusmodi, peccant graviter, & tenentur ad compensationem, seu restitutionem, quamvis certo sciant alios independentem à suo suffragio talem iniquam sententiam, aut electionem, & hujusmodi esse conclusos. Sic Sporer loco cit. num. 31. Henno loco cit. conclus. 1. resolut. 4. Cajetanus in Summa verb. Restitutio cap. 1. §. Consensus; Lessius de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 23. Petrus à Navarra lib. 3. de restit. cap. 4. num. 36. Molina tract. 2. tom. 3. disp. 723. num. 3. Rosignol. loco cit. num. 6. Lugo disp. 19. num. 19. La Croix lib. 3. part. 2. n. 35. & 49. cum aliis ibi citatis, & alii plures. Et ratio est, quia ipsi priores de facto influnt ad damnum necdum positum, & quamvis sine suffragio priorum adhuc alii subsequentes conclusissent iniquam sententiam, & elec-

tionem, & causassent injustam damnificationem: tamen non tollitur, quin ipsi priores, quantum fuit ex se, causam efficacem contulerint iniquae sententiae, & electionis, seu injustae damnificationis, & concurrerint positive ad eam lesionem, & licet sine ipsis id fieret, tamen sine ipsis non est factum.

Nolens suffragari in iis circumstantiis, in quibus praevidet defectu sui voti aliquid esse injuste condemnandum, aut indigne promovendum, peccat graviter, & obligatur ad restitutionem; quia cum possit in iis circumstantiis suo voto impedire dictam injustam condemnationem, aut indignam promotionem, si ipse suum votum non ferat, censetur concurrere, & consentire tali injustae condemnationi, aut indignae electioni, per text. in cap. Qui tacet 43. de Regul. Juris in 6. ibi: *Qui tacet, consentire videtur, & concordat l. Solutio Matrimonio 2. §. 2. ff. de Solutio matrimonio, & faciunt dicta supra num. 40. (Lit. D pag. 108. num. 26. cum pag. 92. num. 58. & 59. leg. 5. tit. 22. part. 4.)*

Per ly *Palpo* venit omnis ille, qui laudando, adulando, extolendo, plaudendo, commemorando alicujus notabilem generositatem, excellentiam, vires, & hujusmodi, vel exaggerando acceptam injuriam, dedecus, & contemptum, & hujusmodi: aut irridendo, vituperando, exprobrando alterius ignaviam, vecordiam, pusillanimitatem, & hujusmodi; & consimiliter faciendo alterum efficaciter incitat, & movet ad actionem injustam, vindictam, vel quodvis damnum inferendum tertio, quod sine tali palpatione non intulisset. *Communis.*

Hinc taliter palpans, si efficaciter influit in damnificationem alterius tanquam vera causa actionis injustae, graviter peccat contra Justitiam, & tenetur ad compensationem, seu restitutionem damni causati per suam iniquam palpationem. *Communis.*

Per ly *recursus*, venit omnis ille, qui furem, sicarium, aut alium malefactorem hospitio recipiendo, defendendo, protegendo, instrumenta servando, furta, seu praedas emendo, custodiendo, & hujusmodi, praebet securitatem, aut commoditatem ad perpetrationem operis injusti, sique efficaciter in causa est, ut damnum injuste inferatur, aut injuste illatum non restitatur. *Communis.*

Hinc talem recursus praebentes, si ratione illius recursus, vel receptionis revera damnum sequatur aliis non securorum, peccant graviter contra Justitiam, & tenentur ad restitutionem. Tales enim sunt verae causa actionis injustae, & positive efficaciter cooperantes ad damnum injuste illatum, & injuste non compensatum. *Communis* per text. l. Quo naufragium fit 3. ff. de incendio §. 5. ibi: *Non tantum autem qui raptus, verum is quoque qui recepit, ex causis suprascriptis tenetur; quia receptores non minus delinquant, quam aggressores, & concordat l. Qui vas 48. §. 1. 2. & 3. ff. de furtis: l. Eos 14. Cod. de furtis, cap. Si res aliena r. Caus. 14. quest. 6. ubi ex verbis Sancti Augustini sic expresse habetur: *Illud vero fidentissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne mala ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis, & criminis.**

Per ly *Participans* venit omnis ille, qui participat in injusta damnificatione proximi, sive ratione rei acceptae, sive ratione injustae acceptationis. *Communis.* Participans ratione rei acceptae est, qui partem furti, seu praedae recipit, aut consumit: & hic si mala fide receperit sciens rem esse furtivam, tenetur illam, si adhuc existat, vel equivalentem, si non amplius existat, restituere, quamvis non sit inde factus ditior; Si autem bona fide receperit existimans recepisse à vero domino, tenetur rem adhuc existentem restituere; & si res amplius non existat, solum id, in quo factus est ditior. *Communis.* Participans ratione injustae acceptationis, est qui quocumque auxilio praestito alteri ad damnum inferendum formaliter cooperatur, ut qui ad furtum instrumenta porrigit, scalas defert, claves adulterinas efficit, furem defensionis causa comitatur, excubias agit, portas aperit, aut effringit.

prædas, & furta asportat, & hujusmodi; Item Notarius conficiens instrumenta usurarum in gratiam usurarii, vel scribens sententiam aperte iniquam, ex vi cuius facienda sit executio, vel conficiens falsa instrumenta, seu testamenta in gratiam hæredum, vel aliorum contra expressam mentem disponentium, seu testamentum; Et quilibet istorum, si per actionem injustam, & ab intrinseco malam, concurrerit, tenetur ad restitutionem juxta modum concursus: Sunt enim de facto efficaces cooperatores ad alterius damnificationem. *Communis.*

49 Dicitur autem notanter: *Si per actionem injustam, & ab intrinseco malam concurrerit*, quia in damnificatione duplex actio intervenire potest. Una scilicet injusta per se, & ab intrinseco mala, ut juvare ad ipsam occisionem, vulnerationem, effractionem, ablationem, vel asportationem rei aliena, & qui sic participat cum injuste damnificante in actione injusta per se, & ab intrinseco mala, inexcusabiliter peccat, & semper tenetur ad restitutionem. *Communis.* Alia per se indifferens, & non ex natura sua intrinseca, sed solum ex iniqua intentione, & applicatione alterius mala, ut scalas ferre, prædam asportare, & hujusmodi, & qui participat in tali actione voluntarie, & libere, peccat, & tenetur ad restitutionem. Si autem participet in tali actione coacte, ut ex gravi metu mortis, mutilationis, atrocis verberationis, aut similis mali, aut ob aliam gravem, & justam causam, liber est à peccato, & ab onere restitutionis, quia actionem de se indifferenter exercere ad bonum finem per se licitum est; talis autem tenetur exercere dictam actionem ad bonum finem, scilicet ad vitam propriam conservandam, & supradicta gravia damna evitanda, adeoque &c. *Communis.*

✦ Licet non peccet, non sequitur semper, non teneri eum ad restituendum; nam si quis auferat rem, quam suam esse existimet, non peccat, sed restituere eam debet, cum alterius esse deprehendit. ✦

✦ Sed hic nihil contra meum assertum; nedum enim mihi, sed & lippis & tonsoribus notum est, quod si quis auferat rem, quam suam esse existimet, non peccat, sed restituere debet, cum alterius eam esse deprehendit. ✦

51 Hinc excusantur à peccato, & à debito restitutionis rustici, qui post injustam depradationem angariantur à militibus, aut prædonibus, ut currus, equos, immo ut se ipsos accommodent ad asportanda spolia; gravi enim metu, & periculo excusati non inferunt dominis formalem injuriam, cum non censeantur in tali casu rationaliter invitati. Item excusantur à peccato, & à debito restitutionis, qui metu mortis, aut alterius gravis mali coacti præbent furibus claves, vel instrumenta ad efringendas fores, vel arcas, & hujusmodi; Tales enim actiones de se sunt indifferentes, & ex sola furum malitia alium damnificant. Item excusantur & à peccato, & à debito restitutionis christiani captivi, qui metu mortis remigant, arma, & sarcinas asportare, propugnacula extrudere coguntur pro Turcis contra Christianos. Tales enim actiones sunt de se indifferentes, & ex sola Turcarum malitia ad Christianorum damnificationem ordinantur. Non excusantur tamen dicti Christiani etiam metu mortis, si bellica tormenta contra Christianos exploderent, sagittas emitterent, ipsosque occiderent; quia istæ, & similes actiones sunt per se, & ab intrinseco mala propter belli injustitiam, unde nullo fine possunt excusari. *Communis.*

52 Quid dicendum de Officialibus bellicis, & militibus, qui injuste concurrunt, & cooperantur sive mandato, consilio, consensu, convenientia, aut etiam non obstando ad injustas civitatum, & oppidorum expolationes, segetum, & vinearum devastaciones, injustas exactiones, & hujusmodi? Vide *verb.* Bellum art. 3. per totum.

53 Per ly *Non obstant* venit omnis ille, qui cum posset, & deberet loqui contradicendo, dissuadendo, prohibendo, clamando ante damnum factum ad illud impediendum, tamen non loquitur, non clamat, non contradicit, non scribit, non prohibet. *Communis.*

Per ly *Non obstant* venit omnis ille, qui cum posset, & debeat ipso facto damnum impedire, tamen non impedit, non defendit, non repellit, aut alia actione non avertit malum, cum de facto inferunt. *Communis.*

Per ly *Non manifestans* venit omnis ille, qui post damnum jam illatum, non denuntiat, seu non revelat damnificantem, vel locum, in quo reposita est res ablata. *Communis.*

54 Mutus, non obstant, non manifestans, si ex Justitia, scilicet, ex officio, vel contractu obligati sint impedire damnum alterius, & non impediunt, cum possunt, tenentur ad damni secuti compensationem, seu restitutionem; Secus autem si obligati sint solum ex charitate. *Communis.* Et ratio est clara, quia obligatio restituendi oritur solum ex violatione Justitiæ, & non ex violatione charitatis; ergo solum illi tenentur ad restitutionem, qui cum possunt, non impediunt alterius damnum, quod tenentur impedire ex Justitia, & non illi, qui illud impedire tenentur tantum ex charitate.

55 Obligati ex Justitia ad impediendum alterius damnum excusantur à gravi culpa, & ab obligatione restitutionis, si non impediunt propter periculum gravis damni proprii majoris, aut æqualis, uti est iudicia gravis rei familiaris, famæ, vel honoris, & præsertim vitæ, Scot. in 4. dist. 15. quest. 4. vers. Illo de quarto: Covarrub. ad Regul. Peccatum 2. part. num. 5. §. 3. Adrianus in 4. de restit. in communis, §. Concurrentibus; Navarr. in manual. cap. 17. num. 18. & n. 133. S. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 12. §. 7. Angelus verb. Furum, §. 26. Tamburin. lib. 8. tract. 4. cap. 2. §. 6. n. 6. Molin. loc. cit. disp. 735. num. 1. Sporer loc. cit. num. 5. Rosignol. loc. cit. num. 6. Henno loc. cit. q. 5. conclus. 1. circa fin. resolut. 1. & alii passim; Et ratio est, quia ordinarie non assumuntur hæc officia, nec inquantum hæc facta impediendi aliorum damna cum tanto onere, & periculo damni proprii majoris, vel æqualis; nisi quid amplius speciale pactum exposcat, ut in milite tempore belli, & Parocho tempore pestis, vel subversionis suorum ovium. Unde recte docet Scotus cit. dist. 15. quest. 2. quod ad restitutionis onus tria requiruntur. I. quod possit quibus damnum alterius impedire sine gravi vitæ, & honoris, aut rei familiaris noverculo. II. quod debeat impedire. III. quod ex Justitia.

57 Obligati ad impediendum alterius damnum solum ex charitate non tenentur ad restitutionem, etiamsi non impediunt ex dolo, vel malitia, odio, seu vindicta; S. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 32. §. 13. Navarrus cap. 17. num. 18. & num. 136. Medina Jo. de restit. quest. 9. vers. Primum modus: Petrus à Navarra lib. 3. de rest. cap. 4. num. 131. Bartholom. Medina in sua Instit. lib. 1. cap. 24. §. 21. Sporer loc. cit. num. 52. Rosignol. loc. cit. num. 6. & alii. Et ratio est clara, quia odium non est causa restitutionis, sed injustitia commissæ: In tali autem casu nulla est injustitia commissæ, quia nulla fuit obligatio impediendi damnum ex Justitia, sed solum ex charitate, ut expresse loquitur conclusio, adeoque &c.

58 Nec valet obijcere textus Canonicos in cap. Pasce 21. dist. 86. ibi: *Pasce fame morientem; quisquis enim pascendo hominem servare poterat, si non pavisti, occidisti;* cap. Non inferenda 7. caus. 23. quest. 3. ibi: *Qui enim non repellit à socio, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit;* cap. Sicut dignum 6. §. Illi etiam, de Homicidio, ibi: *Qui potuit hominem liberare morte, & non liberavit, cum occidit.*

59 Non valet, inquam, quia relata, & alii similes textus Canonici intelligendi sunt quantum ad æqualitatem culpæ, non vero quoad obligationem restituendi, nisi respectu personarum, quæ ex Justitia tenebantur, ejusmodi mala avertere, & impedire; Personæ autem, quæ ad id tenentur solum ex charitate, quamvis id omittentes graviter peccent contra charitatem, non tenentur tamen ad ullam restitutionem, cum non peccent contra Justitiam.

Principes, Magistratus, Gubernatores, Pretores, 60 ac Duces belli, si non impediunt damna subditorum,

tenentur ad restitutionem omnium damnorum sua culpa, & negligentia secutorum. *Communis.* Ipsi enim obligantur lege Justitiæ commutativæ ad impedienda damna subditorum, cum stipendia, & redditus recipiant ad hunc effectum tamquam conducti à Republica; Unde si non impediunt damna, quæ possunt, & debent, non solum violant legem Charitatis, sed etiam legem rigorosæ Justitiæ, adeoque tenentur ad restitutionem. Vide *verb.* Bellum art. 2. & 3.

61 Item ad restitutionem tenentur Tutores, Curatores, Administratores bonorum non impediendo damna pupillis, minorennibus, ecclesiis &c. provenientia. *Communis.* Ipsi enim ad id tenentur ratione sui officii, eo quod à potestate publica, aut consuetudine sic communitur recepta, illud onus eorum officio sit annexum.

62 Item ad restitutionem tenentur Advocati, & Procuratores non impediendo damna suis Clientibus obvientiæ. *Communis.* Ipsi enim ex vi proprii muneris tenentur suorum Clientum detrimenta impedire, quantum possunt, cum ad id sint conducti, & mercedem, seu stipendium recipiant. Vide *verb.* Advocatus.

63 Item ad restitutionem tenentur Assessores, Canonici, Electores, Consiliarii, qui vel tacendo, vel se absentando, cum possint, non impediunt iniquam constitutionem, injustam & indignam electionem, & hujusmodi. *Communis.* Ad id enim tenentur isti ratione proprii muneris. Vide dicta supra num. 43.

64 Item ad restitutionem tenentur famuli, domestici, seu ancillæ, quibus cura, seu custodia specialis domus, aut rei familiaris commissæ est, si non impediunt furta, aliaque damna, quæ dominis inferuntur, sive ab extraneis, sive à conservis, vel condomicis. *Communis.* Ipsi enim ex suo officio, adeoque ex Justitia tenentur, quantum possunt, tælia damna impedire, cum ad id sint conducti, adeoque si non impediunt, tenentur ad restitutionem. Vide *verb.* Famuli.

65 Alii famuli, seu ancillæ, quibus ejusmodi specialis cura non est demandata, tenentur probabiliter ad restitutionem, si non impediunt damna, quæ dominis inferuntur ab extraneis. Lugo disp. 19. sect. 2. num. 106. Rosignol. loc. citat. num. 17. La Croix lib. 3. part. 3. numer. 46. cum Navarr. & aliis ibi citatis, Sporer loc. citat. numer. 57. cum Petro à Navarra, Lessio, & aliis ibi citatis; Henno loc. cit. quest. 5. conclus. 2. resol. 4. & alii plures contra Molinam, Azorium, Bonaciam, Rebelle, & alios; Et ratio nostra est, quia eo ipso, quod in famulatum recipiuntur, censentur obligati ad res dominorum ab injuriis extraneorum defendendas, & custodiendas, cum sint mercede conducti ad commodum, & utile eorumdem dominorum, adeoque obligantur ad restitutionem, si cum possint eorum damna impedire, culpabiliter non impediunt.

66 Non tenentur tamen dicti famuli, seu ancillæ ad restitutionem, si non impediunt damna, quæ dominis inferuntur à conservis, vel condomicis. *Communis.* Isti enim cum certa mercede conducuntur à dominis ad suum famulatum, non censentur se obligare ad custodiendas res dominorum contra alios conservos, & condomicos, nisi hæc specialis custodia sit eis demandata, & conventa. Cum enim omnes in eadem domo cohabitent, nimis difficile est, quod unus servus variis aliis curis distractus possit aliorum conservorum furta præcavere; Unde à prudentibus dominis solet unum ex famulis sibi benevolum ad hoc munus custodiæ specialiter deputari, qui ex dictis supra num. 67. tenetur ad restitutionem damnorum sua negligentia domino illatorum, sive ab extraneis, sive à conservis, seu condomicis.

67 Custodes conducti ad impediendam venationem, piscationem, lignationem, agrorum, & vinearum damnificationem, gabellarum defraudationem & hujusmodi, si non impediunt, vel manifestaverint, tenentur ad compensationem damnorum inde directæ secutorum. *Communis.* Isti enim sunt ad id conducti, unde si in hoc suo munere, ad quod ex Justitia obligantur, deficiant, tenentur ad compensationem damnorum suo culpabili defectu dominis illatorum.

Non tenentur tamen dicti Custodes ad restituendas pecnas, seu multas, quas domini accepissent à delinquentibus, si ipsi Custodes eos accusassent, seu denunciasent; Tali enim Custodum officium non est locupletare dominos ex lucro poenarum, seu multarum, sed solum defendere, custodire, & servare indemnes res suæ custodiæ commissas, cum initus suos contractus non extendatur ad multas procurandas, sed solum ad custodiendas, & indemnes reservandas res sibi creditas; Lessius lib. 2. de Justit. & Jure cap. 13. dub. 10. num. 73. Navarrus cap. 25. num. 34. Lugo disp. 37. num. 102. Silvester *verb.* Restitutio 3. quest. 5. dub. 7. Tamburin. lib. 8. tract. 4. cap. 2. §. 6. num. 12. Rosignol. loc. cit. num. 14. Henno loc. cit. quest. 4. conclus. 2. La Croix loc. cit. num. 48. Sporer loc. cit. n. 58. aliique citatis, Diana part. 3. tract. 6. resol. 64. & alii contra Petrum à Navarra, Joannem Medinam, Bartholomæum Medinam, Salonium, & alios.

69 Si fur donet alicui partem rei furtivæ ad hoc, ut taceat, tenetur illam domino restituere, quia non erat furus, sed ejus, cui furatus est. *Communis.* Si autem fur donet ipsi aliquid de suo, non tenetur restituere illi, cui furatus est, quia sine injustitia potuit tacere, ut supponitur, nec tenetur restituere furi, quia turpe licrum post opus impletum potest retineri, ut recte docet S. Thomas 2. 2. quest. 62. art. 5. ad 2. & Communis aliorum.

✦ Dummodo tamen is tacendo non sit causa influens in furtum. ✦

✦ At satis ego ibi demonstro, quod is tacendo non sit causa influens in furtum, dum dico expresse: *quia sine justitia potuit tacere*, si enim is tacendo esset causa influens in furtum, jam non posset tacere sine injustitia. ✦

70 Confessarius ex ignorantia crassa, seu ex malitia positive deobligans penitentem à restitutione quando tenetur, vel ipsum obligans quando non tenetur, positive suadens, seu docens aliquem contractum esse justum, quando revera est injustus, & usurarius, tenetur omnino ad compensationem damni secuti tertio. *Communis.* In tali enim casu Confessarius positive fuit causa efficax, & injusta dicti damni, adeoque tenetur ipsum compensare, & reparare. Vide dicta supra n. 25.

71 Confessarius non positive deobligans penitentem à restitutione, sed solum negative in quantum ex negligentia, sive ignorantia crassa, verecundia vel metu taceat, nec injungit penitentem restitutionem faciendam, ad nullam obligatur restitutionem; Confessarius enim ex Justitia erga tertium non tenetur admonere, aut positive impedire ejus damnum, sed ad summum ex charitate.

✦ Assumpto onere audiendi confessiones, videtur teneri ex officio, ac proinde ex justitia. ✦

✦ Ast advertendum, quod onus assumptum audiendi confessiones à simplici Confessario, est solum assumptum ex charitate, & non ex justitia; duplex enim discrimen intercedere onus à Confessario Parocho assumptum inter & onus assumptum à Confessario simplici. Illud Parochi obligat ex justitia, quia à parochianis accipit ad id tamquam ex contractu decimas & stipendia, seu præbendam parochialem, ob quæ ipse Parochus tenetur parochianos instruere ex justitia. Simplex autem Confessarius, cum nullum recipiat stipendium, nec ullum inierit ad id contractum cum penitentibus, tenetur solum illos instruere ex charitate, propter quam solummodo munus Confessarii libere quando voluerit à se exercendum sine illo onere assumpti; adeoque, cum nullimode violet in hoc casu justitiam, ad nullam tenetur restitutionem. Sic etiam ultra ibi à me allegatos tenet celeberrimus P. Antoine de Paris. art. 3. quest. 3. Videatur etiam ad rem toties laudatus Alphonsus de Liguori cap. 15. punct. 6. num. 123. ✦

72 Læsiõ autem solius Charitatis non obligat ad restitutionem, adeoque &c. Ita Sporer. loc. cit. num. 62. cum Valentia, Lessio, Sa, Fabro, Tannero, Layman ibi citatis, La Croix leg. 6. part. 2. num. 1781. cum Suarez, Valentia, Azor. Sanchez, Filliuc. Rebel. Co-

Coninch. Malder. Bonacina, Arriaga, Aversa, Busemb. Lugo, Diana ibi citatis, & alii plures apud Moyam tit. 3. disp. 7. quest. 4. contra Navarrum, Angelum, Rosellum, Molinam, Gabr. Silv. Moyam, & alios volentes Confessarium adhuc in tali casu teneri restituere, & consentit Lessius lib. 2. cap. 13. num. 77. & Rosignol. loc. cit. num. 18. & seq. si Confessarius sit Parochus, quia, dicunt ipsi, ex officio tenetur Parochus suos Parochianos penitentes de tali obligatione admonere, & sic tacendo æquivalenter dicit non teneri restituere, quod maxime valet, si ex malitia studiose ideo taceat, ne penitens obligationem sciat, & restituat, quia in hoc casu alter habet Jus, ne per talem dolum fraudetur.

✦ Sic ex officio tenetur etiam restituere, licet non ex malitia, quia deficeret in officio.

✦ Ast recurrit precedens responsio. Tenetur quidem ad restitutionem, si deficiat in officio, ut Parochus, assumpto ex iustitia, sed non si deficiat ut simplex Confessarius in officio assumpto ex mera charitate.

73 Quia studiosa malitia, & dolo interveniente nec ego ab hac sententia auderem recedere, quia fraus, & dolus, & malitia nemini debent patrocinium impertiri, cap. Ex literis 2. de dolo, & contrumac. cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16. de Clericis non residentibus; lege in fundo, ff. de rei vindicta. leg. Cum hi, ff. de transact. leg. Si Legatarius, Cod. de Legatis, (Lit. E pag. 175. num. 51.) cum similibus, quamvis Sporer loc. cit. cum aliis excuset eum ab onere restitutionis, etiamsi ex malitia non moneat penitentem de tali obligatione restituendi.

74 Confessarius, qui bona fide, & absque culpa deobligat penitentem à restitutione, cum ad eam tenetur, vel obligat, quando ad eam non tenetur, per se loquendo non tenetur compensare damna causata, quia ubi culpa non est, neque debet esse pena, text. expresso in cap. Cognoscens 2. de Constitutionibus, ibi: Res, qua culpa caret, in dampnum vocari non convenit (tit. 31. p. 7.) Cognito tamen errore, & comperta veritate tenetur ex iustitia admonere penitentem, La Croix lib. 3. part. 2. num. 362. & lib. 6. part. 2. num. 1780. Arragonius, Saloniis ibi citati, & alii.

75 Testis à Iudice vocatus, & interrogatus de damno ab altero illato, si scienter falsum testimonium dicat cum damno innocentis, tenetur ad compensationem damni ipsi causati. Communissima; Talis enim falsum dicendo cum damno tertii peccat contra Iustitiam, adeoque onus restitutionis incurrit.

76 Si autem testis à Iudice vocatus, & interrogatus, fuga, silentio, vel tergiversatione declinet, dissimulet, veritatem celet, non obligatur ad compensationem damni ex intermissione sui testimonii parti innocenti, vel læsæ, vel nocenti secuti. Sic ex communi docet Molina loc. cit. disp. 739. num. 6. Lessius loc. cit. cap. 30. dub. 8. num. 57. & seq. aliique citatis Layman lib. 3. de Iustitia tract. 2. cap. 5. num. 7. in fine, Rosignol. loc. cit. num. 21. & seq. Sporer loc. cit. num. 61. & alii passim; Et ratio est, quia in tali casu testis dissimulans, vel tacens veritatem non peccat contra Iustitiam commutativam, cum pars læsa, vel innocens nullum habeat Jus cogendi ipsum ad exprimendam veritatem, sed solum peccat contra charitatem erga innocentem, contra obedientiam, contra Superiorem, vel Iudicem vocantem, & interrogantem, & ad summum contra Iustitiam legalem, contra communitatem, quod nullam inducit obligationem restituendi, cum talis obligatio oriatur solum ex violatione Iustitiæ commutativæ, ut dictum est supra num. 3.

✦ Quoties est legitime inductus, videtur obligari.

✦ Nequaquam, idque propter solidam rationem ibi à me adductam, cum talis testis in dicto casu non violet iustitiam, ex cuius solius violatione oritur obligatio restitutionis. Ipse enim testis legitime inductus, comparando non constituitur iniustus, sed solum inobediens vel contumax, nec citatio illa imponit obligationem iustitiæ ad comparandum, sed dimittat obedientiæ; ex violatione autem obedientiæ præcisæ, quando non est

aliunde obligatio iustitiæ, nemo tenetur ad restitutionem, cuius obligatio oritur solum ex violatione iustitiæ. Videatur inter alios ad rem celeberrimam Rosignolus de restit. n. 1. prenot. 12. sect. 7. n. 21. & sequentibus, ubi id efficaciter probat, & solvit omnes objectiones.

An siq̄i pauperes teneantur restituere elemosinas acceptas? Vid. verb. Elemosyna.

An, & quomodo adulteri teneantur restituere damna causata ob sua adulteria? Vide verb. Adulterium art. 5.

An, & quomodo stupratores teneantur ad restitutionem pro stupro? Vide verb. Stuprum, Stuprator. (& verb. Forum)

An parentes exponentes filios suos, sive legitimos sive illegitimos in hospitali, vel alio loco ad id deputato, vel in locis, ubi aluntur expensis reipublicæ, seu communitatis, vel ad ostium alterius, teneantur ad restitutionem expensarum pro ipsis factarum? Vide verb. Parentes à num. 23. ad 31.

An inveniens infantem ante ostium suum, & illum ponens ante ostium alterius, teneatur ad restitutionem expensarum inde factarum? Vide d. verb. Parentes num. 32. An, & quomodo Emptores, & Venditores teneantur ad restitutionem? Vide verb. Emptio, Venditio per vos. & signanter art. 2. 3. & 5.

An, & quando possessor bonæ, & malæ fidei teneatur ad restitutionem? Vide verb. Possessor bonæ, & malæ fidei.

An, & quando fraudantes gabellas teneantur ad restitutionem? Vide verb. Gabella.

An, & quando pascentes animalia in alienis pascuis, vel lignantem in alienis silvis, seu nemoribus teneantur ad restitutionem? Vide verb. Pasca.

An, & quando impediens aliquem à consecutione boni teneatur ad restitutionem? Vide verb. Impediens.

An, & quando fur ob furta minuta, & alia gravia teneatur ad restitutionem? Vide verb. Fur.

An, res inventæ, vel derelictæ restitui debeant, & quibus? Vide verb. Dominium art. 3.

An, & quomodo Beneficiati teneantur ad restitutionem fructuum ob non recitationem divini officii? Vide verb. Officium divinum.

An, & quando Canonici teneantur ad restitutionem fructuum ob non residentiam? Vide verb. Canonici art. 5.

An, & quomodo faciendi sit restitutio pro fama ablata? Vide verb. Detractio.

Alia ad rem. Vide verb. Bellum art. 2. & 3. verb. Bona art. 4. verb. Culpa, verb. Damnificatio.

(Sufficiens videbatur ad comprobationem eorum, quorum fit mentio num. 11. remissionem facere ad verb. Damnificatio, & verb. Falsum. Ceterum ut jam asserta majorem explanationem mereantur, est recognoscere necesse, tit. 15. p. 7. & 4. lib. 4. For. Reg. in quibus de damnis occasione, seu alterius culpa obvenientibus agit. Leviter hac de causa leges part. pertingam. In prima quid sit dampnum, designatur: consideratio ejus est triplex, scilicet si deterioratur res intercedente aliqua causa, mixtura, sive alio motivo: si diminutionem ratione ipsius damni patitur; ac denique si in totum vel in partem destruitur. In secunda tractatur, sive refertur, cuius interest in damni resartionem intendere valet. In tertia, in eum, qui fecit, aut culpa sua contingit, mandato, consilio, nisi ab eo factum fuerit qui non intelligit, vel dampnum dedit sui aut rerum suarum defensione, esse procedendum. In quarta proponitur, quando iudex teneatur de damnis, que suo facto, mandato, suave culpa proveniunt: de omnibus obligantur, si iniuste sui culpa se gerat. In quinta tractatur de his omnibus, qui aliquam submissionem versus mandantes tale facinus perpetrare, agnoscunt, nimirum de filiis, vasallis, servis, minoribus viginti quinque annis, monachis: mandantes tenentur, & uterque tam mandans, quam mandatarus, si de delictis atrocibus loquatur: nullus à pena excusabitur, nam criminibus hujus nature neutiquam est assentiendum, quod non obtinet, iustione deficiente: quilibet

autem, in quem nulla sit potestas, aut jurisdictio, si mandatum præcesserit, & dampnum causatum, non liberatur nec qui præcipit. In sexta ostenditur quis de damno teneatur, si rixa mediante, alii vulnus infligatur. (Vide verb. Homicidium.) In septima fit mentio eorum foveas locis publicis facientium, aut feras bestias de loco in locum traduentium. In octava reperitur casus de servo vinculis adducto, si aufergitur ex eis solutus. In nona deciditur, chirurgum, medicum, & veterinarium de læsione, seu morte hominis, sive animalis propter imperitiam eorum occurrente, si curatiorem inceptam deseruerit, aut culpa e venerit, teneri. In decima de incendiario (Vide verb. Incendiarii) est sermo, dampnum est resarciendum, si omnem diligentiam ad idem evitandum non præstiterit. In undecima de furno incenso determinatur, nam si materia in eo inventa, seu inducta deminuitur, seu destruitur, æstimationem damni non effugit qui diligentiam omisit. In duodecima casus depingitur, si ignis intra civitatem, seu villam incensus ultra progredatur, necesseque per consequens fuerit, aliquid evertere extra ædificia, ubi incendium vires accepit, seu initium sumpsit: nulla pena ibi ingreditur. In decimatercia de nave perforante scienter, & vasa, ubi aliqua includuntur, nam de damno ob hanc causam proveniente tenetur. In decimatercia excusatur à pena navis dominus, si ventorum vi navis aliam impetit, & frangitur. In decimatercia determinatur ad quid sint obligati omnes, dum multi intercedunt in servi, sui animalis percussione: si non appareat cui sit tale dampnum commissum, in solidum damnantur. In decimatercia est decium, in dampnum duplicatum condemnationem fieri debere, si postquam negaverit excedens, probatione ejus fuerit facta. In decimatercia notatur, eum, qui in iudicio dampnum fecisse confitetur, nisi justificaverit à se non esse paratam, in resarciendi obligatione constitui. In decimatercia præfinitur quomodo damni æstimatio, si petitur, est faciendæ, & retro consideranda. In decimatercia inveniuntur varia exempla, de servo picturam exercente, si pollex sit abscessus: de servo hæredem instituto, si occidatur antequam hæreditatem adierit; tandem de alio servo, qui alterius erit socius ad canendum: non solum corporis est faciendæ æstimatio, verum etiam quiddam damni ex facto præcedenti sit illatum: ideo stimari debet valor hæreditatis, & servi superstitis: in ceteris rebus similiter proceditur, verb. grat. si ex quadrigis equorum unus fuerit interfectus. In vigesima fit patens, quando de damno tenetur qui servo persuadet, ut arborem ascendat, puteum scrutetur, vel descendat, ob idque mortuus, aut læsus fuerit: pariformiter tenetur qui de navi, ponte, aut ripa seryum præcipitaverit. In vigesimatercia agit de ea persona, quæ canem emisit, & lacessivit tum equidem, si dampnum sequatur, qui ita processit, tenetur: idem evenit si alicujus animal non mansuetum pavore perterritus fugit, præcipit se gerit, aut quid aliud dampnum provenit. In vigesimatercia de animalibus domesticis, seu mansuetis, ex. gr. equis, camelis, elephantibus, seu bobus tractatur, hoc est, si quadrupes pauperiem fecisse dicitur, nam si ex feritate sua, sine alterius culpa dampnum dederit, dominus ad duorum alterum tenetur, vel animal noxiam committens dominus ejus patienti tradet, vel damni æstimationem: si culpa e venerit, damno causam præbens obstringitur. In vigesimatercia animalia fera nimirum leo, panthera, leopardus, ursus, lupus, chaus, serpens, &c. se præsentant, dum domi retentæ damnificant si ut oportet, non custodiantur, damni pena duplicatur: homine per ea percusso impense in curationem factæ, & amissarum operarum æstimari debent: si moriatur, aurea ducenta marapetina solvet, quorum medietas ad hæredes pertinebit ad regiam Cameram altera pars: si vitam cum morte non commutavit, verum aliquod membrum amisit, arbitraria pena damnificationi dans causam plectitur, considerata persona noxiam recipientis, & læsa corporis parte. In vigesimatercia reperitur bobes, oves, & alia pecora in

vinetis, messibus, seu pratis damna facientes: si facto pastoris, seu domini contingit, juxta æstimationem peritorum duplicatum dampnum debet satisfieri: si casu, præterque eorum intentionem e venerit, vel in simplicium condemnabitur, vel pro noxa animalia tradentur, numquam licet agri domino eidem nocumentum præbere, sed ad iudicem esse recurrendum. In vigesimatercia ejectione, & effusa de domo alterius locum habent, si ex ea re dampnum obvenit: in duplum iudicatur in eum qui deiecit, si apparet à quo sit commissum, aliàs omnes in ea habitantes tenentur: hac de causa alicujus morte sequuta, qui effudit, vel eiecit quinquaginta aurei marapetinarum penam subibit regie Camerae, & defuncti hæredibus applicandorum. In tribus seqq. videlicet 26. 27. & 28. pena in eos determinatur qui supra locum qua vulgo iter fit aliquid positum advertitur, quod nocere potest: de barbitoribus officium suum in loco non separato exercentibus, imperitis, vel tunc temporis in ebrietate constitutis, si dampnum aliquod oriatur: tractatur denique in dicta leg. 28. de eis, qui vites, seu arbores fructiferas scindunt; duplex actio conceditur, in duplum pecuniaria decernitur, vel processus formatur ad penam corporalem: si hac utitur, præsentæ damni magnitudine, capite damnatur, si minus magnitudinis reflectitur, arbitrium iudicis in corporeale animadversionem, damni, temporis, & loci circumstantiis attentis multum valebit. Vicini arbore supra domum, alienum fundum, viamve publicam ramos protendentem, si, ut scindantur, iudicis mandatum præcedat, sine pena possunt amputari. Perlegere perquam utile consideratur leg. prædicti tit. For. Reg. & omnes remissiones ab Auctore proxime relatas: runcque si aliqua ex insertis mutationem accepissent, non dubito nota reperiri.

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt restitutionem pro homicidio, vel percussione, seu mutilatione.

SUMMARIUM.

Homicida voluntarius ad quid tenetur: cum eo quomodo confessarius debeat se gerere: involuntarius ad quid: inter provocantem, & provocatum discrimen, ad num. 24.

Si cadaver aliquod ante domum alicujus ponatur: qui occidere fratrem intendit, & hominem necat: intendens Tritium, & occidit Cajum: de ebrio, & qui vulnus lethale infert, agitur, ad num. 31.

Ad quid tenetur occidens hominem, qui paulo post alterum moriturus: Paulo à Petro excaecante occiso, obligatio restituendi quantum se protrahat: si dampnum inlatum fuerit duobus rixantibus, ad num. 37.

A mandataris requisitus offendens domum Caji, qui inde fuit ab illis occisus, si fecit sine coactione tenetur, secus si coacte: quamvis à magistratu hominida capite plectatur, non liberatur, & quid in ejus hæredibus: qua damna compensanda: transit ad hæreditates: quid si post vulnerationem detur remissio, ad num. 47.

Semper sunt hæredibus compensanda quamquam plebiscitum obtulerit à Principe remissionem.

Læsus, & voluntarius homicida, percussor, vel mutilator tenetur restituere omnia damna temporalia inde secuta. Communis. Qui enim causa damni dat, dampnum dedisse censetur; cap. Si culpa 9. de injuriis, & damno, l. Qui occidit 30. §. 3. ff. Ad legem Aquilianam (tit. 15. p. 7.) (Vide add. prox. art. præced.)

Hinc iniustus, & voluntarius homicida, percussor, vel mutilator tenetur restituere omnes expensas rationabiliter factas ab occiso non statim mortuo, percusso, vel mutilato pro cibis extraordinariis, pro Medicis, & me-